

Letter 598: 7 March 1536, Constance, The Preachers of Constance to Capito and Martin Bucer

The autograph original of this manuscript is no longer extant. The translation is of the text in TB 9:37–9.

Gratiam et pacem a Domino, viri fratres in Domino observandissimi simul et charissimi. Ex vestris ad Zwickium nostrum literis accepimus, praeter alia minime vulgaria erga nos et ecclesiam nostram officia, ardens etiam vestrae charitatis studium ac curam praecipuam, ne nos optatae tantisper ecclesiarum concordiae aliqua ratione desimus. Qua quidem in re, ut de nobis securi sitis ac certi, quid velimus, duo potissimum sunt, de quibus disertam nos rogatis sententiam. Primum an nos ipsi adhuc constemus in sententia Confessionis nostrae de concordia cum Lutero deque Oeconomia ad Monasterienses factae hic in conventu fratrum Suevicorum sub finem anni tricesimi quarti. Alterum quod urgetis nam nos ad futurum generalem synodum (si is forte processerit) cum reliquis ecclesiarum episcopis simus venturi. Ad primum ergo haec esto nostra responsio, simul atque superioribus annis circa Coenae negotium inter doctos nostrae partis natum est infelix hoc dissidium, adeoque sic invaluit, at posita semel animorum moderatione per contentionem ac multam affectionum humanarum impotentiam plerique res agi visa sit: adeo publicis tum scriptis, tum concionibus nigro ac amaro convitiorum sale fermentatis, ut res orbi fabula fuerit, utque nemini pio interim non doluerit, tot principes populos ac nationes per haec ab evangelii consortio alienari. Inter haec tamen plus quam tragica mala insigni Dei nostri ac solita munificentia nobis contigit, ut neque inter nos, nec cum alio quopiam unquam nobis fuerit super hac re controversia. Quin potius usque et usque inter nos unanimes, diligenter ecclesias nostras exhortati sumus, ne inauspicato hoc doctorum virorum certamine offensae, vel a sana evangelii doctrina resiliant, vel temere quemquam calumnientur, aut iudicent, sed pacis potius et charitatis ante omnia et cum omnibus studiosi, subinde etiam a patre coelesti praecentur felicem eius tragoediae catastrophem, nec minore diligentia inculcavimus etiam germanum simplicem ac frugiferum coenae dominicae usum. Quem quidem nos praecipue in hoc situm esse arbitramur.

Ut circa hanc Christi institutionem recenti memoria recensemus incomparabilia Dei nostri erga nos beneficia ac promissiones, adeoque amplissima Christi merita, triumphante de hostibus nostris morte crucis comparata, his nos tuto credamus, pro his ex animo gratias agamus non ignari quicumque ad hunc modum coena utuntur illos Christum ipsissimum totum ac verum, qualis est, vere habere in coena praesentem, utpote qui iam habitat in illis, quique illos semel in filios Dei adoptatos, non solum pane et vino, sed ipsissimo corpore et sanguine pascat ac vegetet. Contra illos hac sacrosancta coena abuti, quicumque sine fide utuntur, nimirum aeternum sibi iudicium manducantes. His circa usum a nobis praecipue bona fide ac summa diligentia inculcatio, quicquid erat vel ambiguarum vel pugnantium opinionum apud populum consulto declinavimus, id quod non parum utilitatis attulit ecclesiis nostris. Quodque ut passim de nobis innotuit, ita magistratui nostro non potuit non probari.

Hoc autem ut et apud vos fidem mereatur revocamus vobis in memoriam, quid Augustanis comitiis acciderit, cum vos articulum de coena tractassetis liberius ac prolixius. Satis nostris legatis grave fuisse in hanc confitendi formam consentire, nimirum non alio argumento, nisi quod assererent suos dominos ac concionatores, utrosque summa hactenus diligentia cavisse, ne huic involverentur contentioni. Quae nostrarum excusatio dum etiam a vobis impetravit, ut mutatis quibusdam, clarius ac succinctius sit propositus ille articulus adeo ut non solum inter vos et nostros tam optime convenerit, sed ut Principi Electori ac Lutero ipsi non displicerit nostra

confessio. Quae quidem mutatio satis ipsi quantum profuerit. Proinde nos ab eo tempore optimam in spem sumus erecti, publicatis semel ac susceptis probatisque utrinque confessionibus et apologiis, foedere denique contracto firmamque post hac concordiam quemadmodum tandem non dubitamus re ipsa hactenus constitisse et adhuc constare incolumem. Eo itaque animo et sumus hodie, quanquam non fuimus et exhibitae confessioni et stemus et steterimus semper, optantes ex animo aeternam pacem ac concordiam cum omnibus Christum servatorem nostrum, ac parum Dei verbum suis docentibus. Neque negamus cum illis concordiam, etiamsi alicubi secus loquuntur atque nos. Imo etiam si (extra summariam tamen felicitatis nostrae doctrinam) multa secus intelligant secus interpretentur, nunquam tamen detrectabimus cum illis concordiam et pacem, nunquam contendemus, multo minus illos damnaturi, quamdiu in iustificationis doctrina nobis convenerit. Reliqua vero ipsi agent ad suarum ecclesiarum aedificationem, nobis interim et nostros loquendi modos permittentes. Ad hunc modum de concordia ecclesiarum deque Christiana libertate sentientes approbavimus, dudum ac nuper etiam primo Saxoniam. Deinde et privatas quasdam Lutheri confessiones. Articulos denique hic in conventu fratrum propositos, a te venerande Bucero, mox etiam libellum ad Monasterienses, confessionem praeterea Augustanam ad haec Helveticorum fratrum aliquas.

Iam quamvis confessionum illarum omnium quemadmodum et ecclesiarum in multis quaedam possit esse diversitas, nihilominus approbamus nos enumeratos supra et confessiones et ecclesias omnes et hodie, hoc est, permittimus libenter, at ecclesiae quilibet eos loquendi modos amplectantur. Ita agant et doceant, prout suis potest esse aedificationi ecclesiis.

Eandem porro et nobis aequitatem cupimus praestari ab omnibus ne quis nos cogat suum sequi ingenium ac sibi peculiarem vel loquendi vel agendi in ecclesiis usum sed nostra interesse putamus, ut sic regatur ecclesia nostra, quemadmodum ipsius postulat utilitas et profectus. Haec tamen sic intelligi volumus ut interim docendi, exhortandi ac etiam corrigendi nos nemini non faciamus libertatem.

Arbitramur autem hoc cumprimis et nobis et ecclesiae nostrae frugiferum fore, si non oscitanter resolvamus animo quibus periculis, quibusve conscientiarum discriminibus aliquando fuerimus obnoxii, e quibus etiamnum vix respiravimus. Quorum quidem malorum bona pars hinc nata est, quod christiana nobis libertas semel praecepta, fictitio postea unitatis ecclesiastica titulo in miseram nos servitutum coniecit, unde non nisi per restitutam nobis hanc libertatem emersimus, ex amissa porro hac libertate, quantum malorum mare in ecclesiam inundarit, nemo est qui nesciat. Haec recentia adhuc ac nondum satis deplorata pericula sollicitos nos habent, quo minus, iudicemus ad praescriptas de novo leges ac constitutiones emendandas esse ecclesias. Extat adhuc cordatum Lutheri consilium scriptum Augustanis. Quo pacto coire posset certa ac durabilis ecclesiarum concordia, nempe ut diximus, si remissa semel omni simultate ac discordia, aliae alias per Christianam charitatem ferant ac mutuo se (ut Christianos decet) diligant.

Huic Lutheri consilio et se ipsum nobis, offert eiusmodi concordiae studiosum, utinam hactenus fuisset obtemperatum, haberemus nimirum plus pacis, laboris ac molestiarum minus ut enim excogitentur mille pacificandi et concordandi formae nostro iudicio non erit alia ratio efficacior vel sarcindae, vel citra futurum periculum stabiliendae ecclesiarum concordiae. Neque per nos stabit, quo minus eiusmodi passim et inter omnes constet concordia, sicut enim hactenus nulla unquam nobis fuit cum Luthero discordia, ita non est quod dubitemus talem cum illo inire concordiam, quem novimus per nos nunquam, vel scripto vel aliqua ratione offensum, quique nostram confessionem sibi probari dudum testatus est. Qui praeterea fatetur eo se animo esse, ut non solum non gravetur per charitatem ferre, quotquot evangelii negotium alias sincero agunt et ex animo, sed illos etiam qui calamum in ipsum strinxerunt, modo ipsi vicissim eodem

sint erga illum animo. Habetis igitur viri clarissimi, nos minime, quae inter nos acta retractasse, sed simul intelligitis, quibus animis et vestras et aliorum confessiones probaverimus. Alias in nullas unquam citra ecclesiarum nostrarum consensum iurare fas erat. Ad alteram quaestionem: num nos ad synodum generalem simus venturi, respondemus.

Nos nondum satis intelligere, quae sit ad praesens instans illa ecclesiarum necessitas, propter quam synodi sint cogendae. Deinde nos adhuc in ambiguo habere, an synodos celebrare semper iustum ac utile medium est, per quod instanti ecclesiarum necessitati subveniri et possit et debeat. Quandoquidem perpendendum non solum qua commoda hinc proficisci queant. Ad haec non licet nobis in communibus hisce ecclesiae rebus quicquam aut dare, aut permittere citra consensum magistratus nostri. De nobis interim fratribus vestris non est quod aliud expectetis, nisi quod ex animo cupimus omnes propagatum quam latissime regnum Christi concordiam denique in hoc promovendi ardenti vobiscum animo esse. Proinde non possumus vos non admovere, ut diligentissime vobis expendatur, quaenam consilia, qui conatus huc faciant. Quo minus autem erretis, non fuerit infrugiferum, si in tempore per vos reliquis ecclesiis iudicetur. Primo defectus ecclesiarum corrigendi, deinde quibus rationibus ac mediis id fieri posse putetis, quo tum magistratus, tum concionatores mature super his deliberare possint. In his omnibus enim animus nobis est nullum nec laborem, nec diligentiam subterfugendi, sed quaevis onera alacri, animo portandi propter Christum. Hunc interim ex animo precabimur, ut sicut ipse unicum est ecclesiae suae caput, ita ipsam suo spiritu regat ac tueatur ipsam sancta concordia per vinculum pacis conciliet et a scandalis omnibus indes magis ac magis repurget. Postremo commendamus vobis, viri pientissimi, et nos et nostram ecclesiam simul a vobis precationem vestrarum auxilia, ut Dominus nobis adsit semper suo Spiritu, nosque in sana evangelii doctrina, ac vera ecclesiae ipsius unitate constanter perseveremus. Valet. Constantiae. 7 Martii anno 1536.

Fratres vestri quotquot Christum Constantiae praedicamus.